

Quaestio disputata de Divo Thoma magistro Dantis Aligherii

Autor(en): **Commer, Ernestus**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **8 (1921)**

Heft 3-4

PDF erstellt am: **12.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762864>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

QUAESTIO DISPUTATA

DE DIVO THOMA MAGISTRO DANTIS ALIGHERII

Constat inter omnes, qui operibus D. Thomae Aquinatis student et divina comoedia Aligherii Florentini delectantur, magnam utriusque doctrinae convenientiam inveniri: quare Aligherius a D. Thoma aliquid didicisse videtur. Cum autem relatio magistri ad discipulum sit similis relationi patris ad filium, tria quaeri possunt, ad quae breviter disputare intendimus: primum, utrum Aligherius sit verus filius D. Thomae; alterum, utrum verbum mentis, quod D. Thomas sapientissimus dixit, e verbis Aligherii resonet; tertium, utrum Aligherius sit tanti magistri imago.

Articulus primus

Prima quaestio est de filiatione, Aligherii. Videtur autem poeta non posse filius D. Thomae dici. 1. Paternitas enim spiritualis est dignitas personalis, quae ex actu magisterii oritur. Sed ipse sanctus Doctor, cum ante Aligherium natum defunctus esset, eum docere non potuit. Ergo Aligherius non potest dici Thomae filius.

Praeterea 2. Ad rationem paternitatis tria spectant, quae secundum analogiam in magisterio quoque requiruntur. Pater enim dicitur is, qui ex sua substantia filium sibi in specie similem genuit principaliter. Sed Thomas Aligherium discipulum neque ex sua substantia nec sibi in natura humana similem nec principaliter docendo generavit, cum Aligherius pluribus doctoribus operam dedisset: ergo hic non est verus Thomae filius dicendus.

Praeterea 3. Etsi Aligherius scientias philosophiae et theologiae ex libris Aquinatis studio adquisivit, tamen Thomas neque auctoritatem neque imperium in poetam exercuit, unde analogia paternitatis iura in eum non habuit. Ergo Aligherius non est filius Thomae dicendus.

Amplius 4. Poeta est artifex. D. Thomas autem non fuit artifex, sed theologus et philosophus, qui non potuit Aligherium artem poeticam docere. Ergo Aligherius non est verus Thomae filius.

Amplius 5. D. Thomas non potuit Aligherium in filium adoptare, sed potius discipulus, qui sibi sua sponte Thomam magistrum elegit, videtur eum quasi patrem adoptavisse: ergo non est filius eius adoptivus.

Denique 6. Si propter opinionum vel sententiarum similitudinem aut propter alias particulares similitudines inter magistrum discipulumque casu ortas Aligherius tantum metaphorice filius Thomae vocatur, nugae aguntur, quae a veritate et ab usu scientiarum sunt alienae, ut Aristoteles in 2. Analyt. Poster. text. 22 dicit, scientiam non debere uti metaphoris, sed hoc proprium esse poetarum. Ergo nullo modo Aligherius est filius Thomae dicendus.

Sed contra est, quod ipse D. Thomas dicit in ep. ad Ephesios c. 3, lect. 4: „Magister est pater discipuli“. Quod etiam usa S. Scripturae probatur. S. Paulus enim doctor gentium Corinthios in prima epistola c. 4, 15 vocat filios suos dicens: „Si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui.“

Respondeo, Aligherium esse verum D. Thomae filium spiritualem. Ad evidentiam huius rei consideranda est ratio magisterii. „Nomen autem doctrinae et disciplinae, inquit D. Thomas in Poster. Analyt. lib. 1, lect. 1, ad cognitionis acquisitionem pertinet: nam doctrina est actio eius qui aliquid cognoscere facit, disciplina autem est receptio cognitionis ab alio. Nec accipitur hic doctrina et disciplina secundum quod se habent ad acquisitionem scientiae tantum, sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscumque.“ Docere autem nihil aliud est quam scientiam in alio aliquo couzare, quod est est perficere eum, qui discit, „perficere autem idem est idem quod docere“, ut inquit D. Thomas in S. Th. III, q. 67 a. 1 ad 1. Etenim, ut idem dicit D. Thomas in S. Th. I, q. 117 a. 2, docens causat scientiam in addiscente reducendo ipsum de potentia in actum, sicut dicitur in 8. Physicorum text. 32. Quod idem explicat in 8. Physicorum let. 8 hisce: „Aliter est in potentia ad scientiam ille qui addiscit et nondum habet habitum scientiae, et ille qui iam habet habitum scientiae, sed non considerat utens habita. Ex prima autem potentia in secundam reducitur aliquid, cum activum suo passivo coniungitur, et tunc passivum per praesentiam activi fit in tali actu, qui adhuc est in potentia; sicut addiscens per actionem docentis reducitur de potentia in actum, cui actui coniungitur

altera potentia, et sic existens in potentia prima fit in alia potentia: quia iam habens scientiam et non considerans quodammodo est in potentia ad actum scientiae, sed non eodem modo sicut antequam addisceret: ergo de potentia prima reducitur in actum, cui adiungitur secunda potentia, scilicet per docentem. Sed quando sic se habet, quod habet habitum scientiae, non oportet quod reducatur in secundum actum per aliquod agens; sed statim per seipsum operatur considerando, nisi sit aliquid prohibens, puta occupatio vel infirmitas aut voluntas. Vel si non impeditus non posset considerare, tunc non esset in habitu scientiae, sed in eius contrario, scilicet in ignorantia.“ „Scientia autem“, pergit in III. q. 117 a. 2, „adquiritur in homine et ab interiori principio, ut patet in eo qui per inventionem propriam scientiam acquirit; et a principio exteriori, ut patet in eo qui addiscit. Inest enim unicuique homini quoddam principium scientiae, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim a principio naturaliter quaedam universalis principia omnium scientiarum. Cum autem aliquis huiusmodi principia applicat ad aliqua particularia, quorum memoriam et experimentum per sensum accipit per inventionem propriam acquirit scientiam eorum quae nesciebat, ex notis ad ignota procedens. Unde et quilibet docens ex his quae discipulus novit, ducit eum in cognitionem eorum, quae ignorabat, secundum quod dicitur in 1. Posteriorum in principio, quod omnis doctrina et omnis disciplina ex praeeistente fit cognitione. Ducit autem magister discipulum ex praecognitis in cognitionem ignotorum dupliciter. Primo quidem proponendi ei aliqua auxilia vel instrumenta quibus intellectus eius utatur ad scientiam acquirendam; puta cum proponit ei aliquos propositiones minus universales, quas tamen ex praecognitis discipulus diiudicare potest; vel cum proponit ei aliqua sensibilia exempla vel similia vel opposita vel aliqua huiusmodi, ex quibus intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ingnotae. Alio modo cum confortat intellectum addiscentis non quidem aliqua virtute activa, quasi superioris naturae, sicut supra dictum est qu. 106, art. 1 et qu. 111, art. 1 de angelis illuminantibus, quia omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturae; sed inquantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collativam, ut ex

principiis posset conclusiones deducere. Et ideo dicitur in 1. Posteriorum text. 5, quod demonstratio est syllogismus faciens scire. Et per hunc modum ille qui demonstrat auditorem scientem facit.“

Ex actu autem magisterii oritur relatio dantis et accipientis, quae est realis mutua et ex se permanens, quia virtute permanet in habitu magisterii et discipulatus, postquam actus docendi et discendi transierunt. Magisterium igitur si consideratur ut habitus, est dignitas personalis: dignitas autem est quid absolutum pertinens ad substantiam personae habentis eam, sed re distinguitur a natura personae, cui accidit. In creatis autem magister est angelus vel homo, ad cuius naturam magisterium tamquam novum esse accidentale advenit. Cum autem ipsa relatio sit res quaedam, considerandum est, quid sit quasi substantia vel essentia huius relationis, quae vocatur magisterium. Cuius fundamentum remotum quidem est natura angeli vel hominis magistri, proximum vero fundamentum nihil aliud est quam scientia, cuius communicatione relatio ipsa oritur. A scientia igitur magisterium sortitur speciem, nam consuetum est definire habitus per actus. Quare magisterium est multiplex secundum obiectum. Scientia enim est vel naturalis vel supernaturalis: prior est philosophia, ad quam attinent artes liberales, quae ordinantur ad opus rationis et sunt speculativae; altera est sacra doctrina seu theologia: unde duplex est magisterium et philosophiae et theologiae.

Ipsae autem actus magisterii est quaedam generatio intellectualis seu spiritualis, ei similis, quae in divinis invenitur secundum fidem catholicam. „Nomine enim generationis, inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 27 a. 1, dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia et corruptibilia, et sic generatio nihil aliud est quam mutatio de non esse ad esse. Alio modo proprie in viventibus, et sic generatio significat originem alicuius viventis a principio vivente coniuncto, et haec proprie dicitur nativitas. Non tamen omne huiusmodi dicitur genitum, sed proprie quod procedit secundum rationem similitudinis. Unde pilus vel capillus non habet rationem geniti et filii, sed solum quod procedit secundum rationem similitudinis non cuiuscumque..., sed requiritur ad rationem talis generationis quod procedat secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine et equus ab equo. In viventibus

igitur, quae de potentia in actum vitae procedunt, sicut sunt homines et animalia, generatio utramque generationem includit. Si autem sit aliquod vivens, cuius vita non exeat de potentia in actum, processio, si qua in tali vivente invenitur, excludit omnino primam rationem generationis, sed potest habere rationem generationis quae est propria viventium.

Similiter autem in creatis generatio per intellectum habet veram quidem, etsi partialem et imperfectam rationem generationis, quae est in viventibus. In actu enim magisteris, qui docet alium, producit eum actu scientem, qualis ille prius non fuit. Sic autem magister discipulum producit in similitudinem specificam sui intellectus, licet non inveniatur in naturae identitate. Sicut igitur per generationem corporalem pater producit filium, similiter per generationem intellectualem magister producit discipulum, quae est analogia proportionalitatis vera. Ergo ex generatione intellectuali oritur paternitas magistralis et filiatio discipuli.

Deinde quaeritur de disciplinatu Aligherii, cuius inter opera praeclarissimum videtur divina comoedia, ex qua mens poetae praecipue est diiudicanda. Sunt autem qui censeant, hoc carmen esse poetica tantum imaginatione inventum, ita ut neque fides catholica nec theologia nec philosophia ad huius operis substantiam pertineant. Qui quidem aut haeretici aut infideles homines videntur, cum ea quae rationem superant naturalem omnino negent. Sed etiam divinam illam comoediam privant veritate argumenti proprii, unde hoc opus celeberrimum pretio careat. Ac turpiter errant, quia opus artis quod a vero abhorret, verae artis opus esse non potest, sed mendacium aut inanis lusus imaginationis est censendum. Est autem haec divina comoedia artificium plane singulare, quo poeta tragoediam humani generis consideratam sub specie aeternitatis summam enarravit, sed in finali beatitudinis aeternae statu spectatam in comoediam divinam commutavit feliciter. Quare auctor argumentum idem, quod D. Thomas summus theologus in Summa theologica tractavit, suo modo in Summam quandam artis videtur redegirse. Etenim hoc summum artificium composuit ex veritatibus divinis humanisque tamquam ex materia et ex fictionibus poeticis tamquam ex forma. Utraque autem Summa cognitio veritatis intenditur. Aligherius autem veritatis cupidissimus ab adoles-

centia omnes fere sui temporis scientias industria sibi adquisivit, et cum multum profecisset studiis, opiniones saepius mutavisset, erroresque correxisset, tandem vir factus aetate iam matura Parisiis adivit scholam Fratrum Praedicatorum, in qua integra D. Thomae doctrina floreret, ubi iterum philosophiae theologiae doctoris Aquinatis operam dedit, quem fideliter secutus est, postquam, relictis aliorum doctorum et sanctorum privatis opinionibus, D. Thomam sibi arbitrum dubiorum selegit, qui discipulum a maculis falsae doctrinae emundavit. Falsa autem doctrina per lepram significatur, quam bonus praeceptor absterget, ut dicit Augustinus, cuius interpretationem D. Thomas in Catena aurea in Evangelium Lucae c. 17 probat, eamque ipsa adhibet Ecclesia in lectione Breviarii Dominicae 13 post Pentecosten. Sicut igitur bonus praeceptor Evangelii advocatus a leprosis dixit „Ostendite vos sacerdotibus“, ut mundarentur, ita D. Thomas tamquam bonus praeceptor advocatus ab Aligherio misit eum per doctrinam suam ad sacerdotes, id est ad Ecclesiae pontifices, qui fidem eius sanam iudicaverunt, ut Leo XIII fel. mem. et Benedictus XV sollemniter testati sunt, quia ille per doctrinam optimi praeceptoris a maculis errorum fuit mundatus.

Ergo patet, D. Thomam magistrum Aligherii fuisse principalem, quare etiam Thomas pater eius magistralis fuit. Ad evidentiam autem huius primo necessarium est investigare de ratione paternitatis, qualis sit et ad quae se extendat. Nomen autem paternitatis est analogum. Nam ut inquit, D. Thomas in 1. Sent. dist. 21 q. 1 a. 1 sol. 2, „paternitas non est eiusdem rationis secundum univocationem in Deo et in creaturis, quamvis sit eadem ratio secundum analogiam, quae quidem aliquid habet in identitate rationis et aliquid de diversitate“. Et in ep. ad Ephesios c. 3 lect. 4 dicit: „Paternitas est tantum in viventibus et cognoscentibus. Est autem duplex vita, una secundum actum, alia secundum potentiam. Vita quidem secundum potentiam est habere opera vitae in potentia: unde dormiens quantum ad actus exteriores dicitur vivere in potentia. Vivere autem secundum actum est quod exercet quis opera vitae in actu. Sic autem non solum qui dat potentiam vitae pater est eius cui dat: sed qui dat actum vitae, ille etiam pater dici potest. Quicumque ergo inducit aliquem ad actum vitae, puta ad bene operandum intelligendum volendum amandum, pater

eius dici potest . . . Cum ergo inter Angelos unus alterum illuminat perficiat et purget, et isti actus sunt hierarchici, manifestum est quod unus Angelus est pater alterius, sicut magister est pater discipuli.“ D. Thomas autem habuit tria quae ad paternitatem spiritualem spectant. Docendo enim tamquam magister genuit discipulum e substantia sua, quae est sapientia sua, et producendo eum similem sibi in scientia, et hoc quidem principaliter faciendo. Sic igitur hic tamquam pater filio tribuit tria maxima bona, ut ipse Thomas dicit in 8. Eth. Nic. lect. 11, quia generando fuit ei causa essendi in statu discipulatus, et educando causa nutrimenti et causa disciplinae. Quare principatur ei amicitia paterna, quae est sicut regalis. Cui paternitati magistrali D. Thomae correspondet filiatio spiritualis Aligherii, quae communem discipulorum filiationem superat, quia non sponte naturalis, sed electiva est: nam processit ex deliberato consilio liberae voluntatis, cum Aligherius Thomam sibi patrem elegerat propter sapientiam eiusdem cognitam. Unde haec filiatio est virtuosa et meritoria, quae virtute consensus liberi perduravit in institutione et perfectione divinae comoediae suae, eaque digna est paterna amicitia quasi regali, quae cum patre magistrali est coniunctus. Denique Thomas Aligherium docendo, instituit eum heredem magisterii sui fecundum, ut alios gigneret filios, qui artem veram eius imitarentur posterisque traderent docendo. Ergo manifestum videtur, Aligherium esse verum Thomae filium spiritualem.

Ad primum igitur quod obiicitur, dicendum est, magisterium vel ore vel signis et scriptis exerceri. Item alia ratione duplex est: aut enim est immediatum ratione primi docentis, aut mediatum ratione magistrorum subsequen- tium primum magistrum, sicut fit in schola per traditionem virtute primi doctoris. Etenim pater est causa nepotum, qui virtute eiusdem propagantur. Unde postremus quoque discipulus in schola primi magistri est verus eiusdem filius dicendus.

Ad secundum patet ex supra dictis.

Ad tertium respondetur e sententia D. Thomae in 8. Eth. Nic. lect. 11 dicentis: „Naturaliter enim pater principatur filio, et progenitores nepotibus, sicut et rex subditis. Unde et filii sunt in potestate patris et nepotes in potestate avi, sicut et subditi in potestate regis.“ In generatione autem spirituali principatur pater filio et

progenitor nepotibus auctoritate veritatis, quae manet in doctrina fideliter transmissa. Imperium autem D. Thomae est regale a sapientia dictatum, cui Aligherius voluntarie sese subiecit.

Ad quartum dicendum, D. Thomam conditione quidem status sui non fuisse artificem, sed ex officio magistrum theologiae, quae est summa sapientia, cui scientiae naturales tamquam ancillae subserviunt. Itaque ille artes liberales, quatenus speculativae sunt, optime novit eorumque principia et capita docuit, ut patet ex eius scriptis. Imo naturali indole ingenioque probatur, ipsum fuisse artificem summum in potentia. Sed actu etiam poeta celeberrimus fuit, quod manifesto apparet ex officio Ss. Sacramenti ab eo composito cum hymnis eiusdem ab Ecclesia publice receptis in liturgia. Thomas autem et Aligherius se habent in artis magisterio similiter ac Moyses et Aaron in sacerdotio. „Moses“ enim, ut inquit D. Thomas in 4. Sent. dist. 19 exp. Lit., „sacerdos dicitur, non officio oblationes offerendi, sed quia sacra populo dedit immediate a Deo accepta“. „Aaron autem sacerdos fuit, id est sacerdotum princeps“, ut idem dicit ibidem dist. 24 q. 3 a. 2 q. 1 ad 1. Similiter Thomas potest artifex vocari, non officio artificia operandi, sed quia artificia primitus dedit populo christiano immediate a Deo per sapientiam accepta. Cum autem, ut D. Thomas in S. Th. III, q. 28 a. 3 ad 5 dicit, quatuor modis in Scriptura fratres dicantur, scilicet natura gente cognatione et affectu, fraternitas quaedam spiritualis invenitur inter Thomam et Aligherium, quae quia spiritualis est, paternitate et filiatione non impeditur. Similiter igitur Thomas et Aligherius fratres spirituales habent se ac Moyses et Aaron fratres naturales, de quibus dicitur in Psalmo 132, 2: „Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius: Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.“ Unguentum autem quo Thomas caput Aligherii unxit, est doctrina, quae descendit in barbam eius, id est in ceteros Aligherii discipulos artifices.

Ad quintum sciendum est, quid sit adoptio, de qua D. Thomas in S. Th. III, q. 3 a. 5 ad 2 dicit: „Filiatio adoptiva est quaedam participata similitudo filiationis naturalis.“ Pater autem est principium naturalis filiationis. Quod

idem explicat in 4. Sent. dist. 42 q. 2 a 1: „Sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per ius positivum, quod est ars aequi et boni, potest aliquis sibi accessere aliquem in filium ad similitudinem filii naturalis et ad supplendum filiorum praedictorum defectum, propter quod praecipue adoptio est introducta.“ Unde filiatio adoptionis est quaedam imitatio filiationis naturalis. Sed paternitas adoptionis est impossibilis, quia non esset imitatio naturae, sed contra naturam.

Ad sextum dicendum, ut D. Thomas in Qu. de Veritate q. 7 a. 2 dicit: „In his quae translative dicuntur, non accipitur metaphora secundem quamcumque similitudinem, sed secundum convenientiam in illo, quod est de propria ratione rei, cuius nomen transfertur.“ Et ibidem q. 10 a. 10 ad 6: „De his quae metaphoricè dicuntur non est accipere similitudinem quantum ad omnia.“ Et in S. Th. III, q. 2 a. 6 ad 1: „Sicut Damascenus dicit in 3 lib. orthod. fidei: „Non necesse est omnifariam et indefective assimilari exempla: quod enim est in omnibus simile, idem utique erit et non exemplum.“ Et ibidem q. 8 a. 1 ad 2: In metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantam ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas.“

Articulus secundus

Altera quaestio movetur de verbis interioribus Aligherii. Et videtur verbum mentis a D. Thoma dictum non contineri in verbis Aligherii. Etenim

1. verbum mentis est id, quod quis secum cogitando ad seipsum dicit et in intellectu dicentis manet. Sed unusquisque dicit verba mentis propria. Ergo verba Aligherii interiora non sunt verba Thomae.

Praeterea 2. Verba mentis a D. Thoma dicta sunt intelligibilia seu intellectiva. Sed verba interiora artificis vel poetae sunt imaginativa. Ergo verba Aligherii poetae non possunt esse verba Thomae intellectiva.

Praeterea 3. Verba mentis dicta a philosopho sunt universalialia, sed verba ab artifice dicta sunt singularia. Ergo verba mentis dicta a Thoma philosopho et theologo non possunt esse verba Aligherii poetae.

Ad haec 4. Verbum mentis est immutabile, quia verum continet. Sed verbum imaginativum est mutabile. Ergo

verba mentis a Thoma dicta non possunt eadem esse ac verba Aligherii poetae.

Praeterea 5. „Id enim, inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 25 a. 3, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere.“ Sed nullus intellectus potest concipere non ens. Malum autem et peccatum cum non sint entia, verbum mentis non habent. Sed Aligherius dixit verba mentis de malo et de peccatis definiendo ea. Ergo haec eius verba non sunt verba D. Thomae.

Amplius 6. Homo in statu huius vitae non valet dicere verba mentis de mysteriis fidei, quia ea comprehendere non potest, nec D. Thomas absolutus theologus ea dicere potuit. Sed Aligherius mysteria fidei exposuit. Ergo eius verba non sunt verba Thomae.

Praeterea 7. Secundum certam firmam ratam D. Thomae sententiam constat, neque angelos neque homines posse in visione beatifica verbum mentis de eo quod videant formare vel dicere. Sed Aligherius in Paradiso visionem beatificam enarravit. Ergo haec eius verba non sunt verba Thomae.

Ulterius 8. Verba mentis manifestantur verbis oris. Verba autem oris quibus D. Thomas utitur, sunt verba sermonis latini. Sed Aligherius usus est sermone vulgari sui temporis, qui tunc nondum erat perfecte formatus, quare non potuit suo sermone verba mentis a Thoma dicta scriptaque reddere perfecte. Ergo verba Aligherii non possunt manifestare verba Thomae.

Sed contra est quod dicitur in Evangelio Marci c. 4, 14: „Qui seminat, verbum seminat.“ Sed D. Thomas tamquam magister seminavit verbum veritatis, quod est verbum cordis sui, cuius quasi fructus manifestatur in divina comedia Aligherii, secundum illud Proverbiorum c. 27, 7: „Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu hominis.“

Respondeo dicendum, quod verba mentis a D. Thoma dicta manifestantur verbis Aligherii. „Ad cuius evidentiam, ut inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 34 a. 1, sciendum est quod verbum tripliciter quidem in nobis proprie dicitur, quarto autem modo dicitur improprie vel figurative. Manifestius autem et communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur, quod quidem ab interiori procedit quantum

ad duo, quae in verbo exteriori inveniuntur, scilicet vox ipsa et significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum secundum Philosophum et iterum vox significatione vel imaginatione procedit, ut in libro 2 de Anima dicitur. Vox autem, quae non est significativa, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quia significat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur, secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa; tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum dicitur . . . Dicitur autem figurative quarto modo verbum id, quod verbo significatur vel efficitur, sicut consuevimus dicere: hoc est verbum quod dixi tibi, vel quod mandavit rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est vel simpliciter enuntiantis, vel etiam imperantis . . . Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet quod ab alio procedat, scilicet a notitia concipientis.“ „Dicendum autem est, inquit in quaestione 4 de Veritate a. 1, quod nomina imponuntur secundum quod cognitionem de rebus accipimus; et quia ea quae sunt posteriora in natura, sunt ut plurimum prius nota nobis; inde est quod frequenter secundum nominis impositionem aliquando nomen prius in aliquo duorum invenitur, in quorum altero res significata per nomen prius existit . . . Et ideo, quia verbum exterius cum sit sensibile, est magis notum nobis quam interius secundum nominis impositionem, per prius vocale verbum dicitur verbum quam verbum interius, quamvis verbum interius naturaliter sit prius, utpote exterioris causa efficiens et finalis. Finalis quidem quia verbum vocale ad hoc a nobis exprimitur, ut interius verbum manifestetur; unde oportet quod verbum interius sit illud, quod significatur per verbum exterius; verbum autem, quod exterius profertur, significat id, quod intellectum est, non ipsum intelligere, neque hoc intellectum, quod est habitus vel potentia, nisi quatenus et haec intellecta sunt: unde verbum interius est ipsum interius intellectum. Efficiens autem, quia verbum prolatum exterius, cum sit significativum ad placitum, eius principium est voluntas, sicut et ceterorum artificiatorum; et ideo sicut aliorum artificiatorum praexistit in mente artificis imago quaedam exterioris artificii, ita in mente proferentis verbum exterius praexistit quoddam exemplar exterioris verbi. Et ideo, sicut in artifice tria consideramus, scilicet finem arti-

ficii et exemplar ipsius et ipsum artificium iam productum; ita etiam in loquente triplex verbum invenitur: scilicet id quod per intellectum concipitur, ad quod significandum verbum exterius profertur, et hoc est verbum cordis sine voce prolatum; item exemplar exterioris verbi, et hoc dicitur verbum interius quod habet imaginem vocis; et verbum exterius expressum, quod dicitur verbum, vocis; et sicut in artifice praecedit intentio finis, et deinde sequitur excogitatio formae artificiati, et ultimo artificiatum in esse producit; ita verbum cordis in loquente est prius verbo quod habet imaginem vocis, et postremum est verbum vocis.“ Nomen igitur verbi magis proprie dicitur de verbo spirituali quam corporali, nam primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur. Quod verbum cordis nihil est aliud quam id, quod actu consideratur per intellectum. „Quicumque autem intelligit, inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 27 a. 1, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.“ Quod magis explicat in S. c. gent. IV c. 11 hisce: „Dico autem intentionem intellectam id, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est res quae intelligitur neque est ipsa substantia intellectus, sed est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet quod aliud, est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit dum super suum opus reflectitur: unde et aliae scientiae sunt de rebus et aliae de intentionibus intellectus. Quod autem intentio intellecta non sit ipse intellectus in nobis, ex hoc patet quod esse intentionis intellectae etiam in ipso intellectu consistit, non autem esse intellectus nostri; cuius esse non est suum intelligere . . . Cum enim intellectus noster seipsum intelligit, aliud est esse intellectus et aliud ipsum eius intelligere: substantia enim intellectus erat in potentia intelligens antequam intelligeret actu. Sequitur ergo quod aliud sit esse intentionis intellectae et aliud intellectus ipsius, cum intentionis intellectae esse sit ipsum intelligi. Unde oportet quod in homine intelligente seipsum verbum

interius conceptum non sit homo verus naturale hominis esse habens, sed sit homo intellectus tantum, quasi quaedam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa... Verbum enim hominis non posset dici simpliciter et absolute homo, sed secundum quid, scilicet homo intellectus; unde haec (propositio) falsa esset ‚homo est verbum‘ sed haec potest esse vera ‚homo intellectus est verbum‘... Est autem de ratione interioris verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit et format intentionem sive rationem intellectam, quae est interius verbum.“

Verba igitur vocalia et imaginativa Aligherii non sunt ipsa D. Thomae verba; attamen manifestant suo modo, quatenus signa sunt, conceptus interiores, quas D. Thomas secum dixit producendo suae mentis verba, quibus res philosophicas et theologicas intellexit, praesertim veritates fidei, quae sunt principia conclusionum, quas Aligherius ab eo magistro didicit. Ergo haec verba cordis a Thoma dicta signantur et manifestantur nobis per verba Aligherii.

Adhuc autem sciendum est, Aligherium poetam non solum principia et capita philosophiae et sacrae doctrinae a Thoma magistro recepisse, sed ea quoque, quae ad artes liberales pertinent. Unde etiam verbum mentis, quod magister de pulcro dixit, e verbis Aligherii resonat. Ad intellectum autem huius quaestionis oportet scire, quid sit pulcrum secundum D. Thomam. „Pulcrum et bonum, inquit in S. Th. I, q. 5 a. 4 ad 1, in subiecto quidem sunt idem, quia super eandem rem fundantur, scilicet super formam: et propter hoc bonum laudatur ut pulcrum; sed ratione differunt, nam bonum proprie respicit appetitum; est enim bonum, quod omnia appetunt, et ideo habet rationem finis, nam appetitus est quasi quidam motus ad rem. Pulcrum autem respicit vim cognoscitivam, pulcra enim dicuntur quae visa placent: unde pulcrum in debita proportionate consistit: quia sensus delectantur in debite proportionate sicut in sibi similibus: nam et sensus ratio quaedam est et omnis virtus cognoscitiva. Et quia cognitio fit per assimilationem, similitudo autem respicit formam, pulcrum pertinet ad rationem causae formalis.“ Item in 1. II, q. 27 a. 1 ad 3 haec dicit: „Pulcrum est idem bono sola ratione differens. Cum enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est quod in eo quietetur

appetitus. Sed ad rationem pulcri pertinet quod in eius aspectu seu cognitione quietetur appetitus; unde et illi sensus praecipue respiciunt pulcrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes, dicimus enim pulcra visibilia et pulcros sonos... Et sic patet quod pulcrum addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam; ita quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui, pulcrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet." Sunt autem qui opinentur, pulcritudinem, cum in apprehensione seu cognitione subiectiva inveniatur, nihil aliud esse quam relationem rei bonae ad intellectum, quae fundetur in ipso actu cognoscendi. Sed hoc falsum videtur. Etenim haec apprehensio, quae ipsa placet, habet duo obiecta subordinata, a quibus speciem sortitur: quorum unum quidem est res bona seu bene disposita in se. Et propterea dicit D. Thomas in 1, II, q. 50 a. 1 ad 1, loquendo de pulcro corporali, pulcritudinem esse qualitatem, sicuti et sanitas. Quae tamen qualitas seu dispositio rei bonae se habet quasi materialiter in ratione pulcritudinis. Alterum autem obiectum est ipsa apprehensio placens, qua illa relatio fundatur formaliter et ultimo specificatur: sed hoc non est ipse cognoscendi actus, quia non omnis actus cognoscendi complacentiam pulcri causat, sed id quo hic actus terminatur, id est ipsum verbum mentis, quo relatio rei bonae ad intellectum cognoscitur. Quia autem verbum mentis est simul id quod cognoscitur et quo cognoscitur, ideo pulcritudo formaliter considerata non est quid mere subiectivum, nam illud verbum mentis in se continet relationem rei bonae ad intellectum. Sic igitur pulcrum se habet ad bonum quodammodo similiter atque obiectum concupiscibile se habet ad irascibile quia pulcrum est bonum quasi cum elevatione et arduitate. Illud autem verbum mentis quod rem pulcram in intellectu exprimit, est simpliciter bonum appetitus naturalis seu voluntatis, quae complacentiam elicit.

Ergo manifestum est, Aligherium, cum particeps factus sit sapientiae D. Thomae, vere eiusdem filium sapientem esse dicendum.

Ad primum igitur dicendum: quamquam verba interiora discipuli non sunt numero eadem atque illa magistri, tamen specie eadem esse possunt. Nam ut inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 117 a. 1, „est eadem scientia in discipulo et

magistro, si consideretur identitas secundum unitatem (veritatem) rei scitae: eadem veritas est, quam cognoscit discipulus et magister.“ Veritas autem rei cognitae continetur verbo mentis, quod idem est in intellectu discipuli et magistri.

Ad secundum dicendum, verbum imaginativum dependere a verbo mentis tamquam ab exemplari, cuius est signum.

Ad tertium dicendum, quod verbum mentis ab artifice dictum est verum, quod est universale, sub quo singularia continentur, quae ab artifice ad illud verum ordinantur.

Ad quartum dicendum, quod verbum imaginativum artificis vel poetae variari quidem potest, quatenus unum verbum mentis diversis phantasmatibus signari vel repraesentari potest.

Ad quintum dicendum, quod non ens intelligitur sub ratione entis, malum autem ut privatio boni. Dicit enim D. Thomas in quaest. de Veritate 3 a. 4 ad 6: „Aliquid dicitur non ens dupliciter. Uno modo, quia non esse cadit in definitione eius, sicut caecitas dicitur non ens; et talis non entis non potest concipi aliqua forma neque in intellectu neque imaginatione; et huiusmodi non ens est malum. Alio modo, quia non invenitur in rerum natura, quamvis ipsa privatio entitatis non claudatur in eius definitione; et sic nihil prohibet imaginari non entia et eorum formas concipere.“

Ad sextum dicendum cum D. Thoma in quaest. de Potentia q. 9 a. 5 loquentis de mysterio Ss. Trinitatis: „Pluralitas personarum, in divinis est de his, quae fidei subiacent et naturali ratione humana nec investigari nec sufficienter intelligi potest, sed in patria intelligendum expectatur, cum Deus per essentiam videbitur visione fidei succedente. Sed tamen sancti Patres propter instantiam eorum, qui fidei contradicunt, coacti sunt de hoc disserere et de aliis quae spectant ad fidem, modeste tamen et reverenter absque comprehendendi praesumptione. Nec talis inquisitio est inutilis, cum per eam elevetur animus ad aliquid veritatis capiendum, quod sufficit ad excludendos errores.“ Et hoc fecit Aligherius in Paradiso.

Ad septimum dicendum, quod poeta sententiam D. Thomae secutus in S. Th. 1, q. 12 a. 9 ad 2: „Sic Paulus vel quicumque alius videns Deum ex ipsa visione essentiae divinae potest formare in se similitudines rerum quae in essentia divina videntur, quae remanserunt in Paulo etiam

postquam desiit Dei essentiam videre. Ista tamen visio, qua videntur res per huiusmodi species sic conceptas, est alia, qua videntur res in Deo." Quamvis igitur ipsa Dei visio a beato non potest dici verbo mentis, cum nullus intellectus creatus verbum infinitum possit exprimere, tamen beatus de rebus in essentia visis partialia verba mentis dicere potest, sicut Paulus testatur in 2 ad Corinthios 12, 4 dicens: „andivi arcana verba, quae non licet homini loqui." Et eiusmodi verba partialia similitudinibus imitatus poeta enarravit.

Ad octavum dicendum quod „diversae linguae habent diversum modum loquendi", ut dicit D. Thomas in S. Th. I, q. 39 a. 3 ad 2. Et haec diversitas eo augetur, quod etiam communis sermo alicuius populi ab individuís loquentibus et tempore et loco et aliis conditionibus fere continuo mutari solet. Unde impossibile videtur verba vocalia alicuius scriptoris adaequate ac perfecte alieno sermone reddere, quare ad fidelem translationem permultum est circumloquendum. Sed quia verba oris sunt verbi interioris signa, tamen sensus scriptoris erui et deinde aliter sermone alieno potest signari.

Articulus tertius

Tertia quaestio est de imagine D. Thomae in mente Aligherii expressa. Et videtur quod mens Aligherii non est imago Thomae. 1. Nam imago est similitudo ab ipsa re expressa. „Imago enim, inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 93 a. 1, aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa." Sed similitudo D. Thomae, quae in mente vel in opere Aligherii potest inveniri, non est ab ipso Aligherio expressa: ergo non potest dici imago Thomae.

Praeterea 2. Imago dicitur id quod rem totam repraesentat, vestigium autem id quod solam partem rei repraesentat. Sed intellectus discipuli id tantum repraesentat, quod a magistro didicit, non autem substantiam magistri. Ergo Aligherius non potest dici imago D. Thomae, sed tantum vestigium eiusdem.

Adhuc 3. D. Thomas habuit scientiam divinitus infusam cum donis Spiritus Sancti. Sed non constat Aligherium habuisse scientiam infusam: ergo scientia Aligherii non est imago scientiae D. Thomae.

Amplius 4. Sanctus Thomas habuit summas virtutes morales, ut constat ex inerrabili iudicio Ecclesiae, quae eum

canonizavit. Sed de virtutibus Aligherii non constat, quippe qui nec sanctus nec beatus nec venerabilis servus Dei ab Ecclesia sit declaratus.

Praeterea 5. Etsi Aligherius aliquas D. Thomae virtutes sive intellectuales sive morales repraesentavit, tamen non omnes magistri virtutes est imitatus, et eas quas imitatus est, non in eodem gradu perfectionis possedit sicut magister. Ergo non est imago magistri dicendus.

Ulterius 6. Individuales conditiones discipuli sunt diversae ab iis magistri, puta indoles temperamentum passiones seu affectus et alia huiusmodi, unde hic non potest esse perfecte eius similis: ergo non est eiusdem imago.

Denique 7. Magister superat discipulum. Sed D. Thomas tum scientia tum sanctitate valde Aligherium superavit. Ergo Aligherius non potest dici imago D. Thomae.

Sed contra est, quod D. Thomas in S. c. gent. IV, c. 11, docet, filium esse imaginem patris. Discipulus autem est filius magistri. Sed Aligherius est verus filius D. Thomae: ergo est eiusdem imago quoque.

Respondeo dicendum, quod, ut dicit D. Thomas in S. Th. I, q. 35 a. 1, „de ratione imaginis est similitudo. Non tamen quaecumque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo quae est in specie rei vel saltem in aliquo signo speciei... Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figurae, sed requiritur ad rationem imaginis origo, quia, ut Augustinus dicit, unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ad hoc ergo quod vere aliquid sit imago, requiritur ut ex alio procedat simile ei in specie vel saltem in signo speciei.“ „Imago autem rei est duplex“, inquit in S. c. gent. lib. IV, c. 11. Est enim aliqua imago quae non communicat in natura cum eo cuius est imago, sive sit imago eius quantum ad exteriora accidentia, sicut statua aenea est imago hominis nec tamen est homo, sive sit imago quantum ad substantiam rei, ratio enim hominis in intellectu non est homo, nam et Philosophus dicit: „Non lapis est in anima, sed species. Imago autem alicuius rei, quae eandem naturam habet cum re cuius est imago, est sicut filius regis, in quo imago patris est, (qui) est eiusdem naturae cum ipso.“ „Verbum autem interius conceptum est quaedam ratio et similitudo rei intellectae; similitudo enim alicuius in altero existens vel habet rationem exemplaris, si se habet ut principium, vel habet potius

rationem imaginis, si se habeat ad id cuius est similitudo sicut ad principium.“ Sed Aligherius est eiusdem naturae cum D. Thoma magistro, cuius filius est ratione disciplinatus. Nam haec spiritualis filiatio, ut supra dictum est, fundatur super communicationem doctrinae et sapientiae; quae magistralis sapientia est quasi natura, qua ratio magisterii constituitur. Ergo Aligherius est etiam imago magistri D. Thomae ratione filiationis spiritualis.

Quod magis confirmatur consideratione conditionis, quam D. Thomas habet in Ecclesia, quippe qui ratione magisterii cum sole conferri possit. Sicut enim nomen visionis secundum usum loquentium extensum est ad omnem cognitionem aliorum sensuum et ulterius ad cognitionem intellectus. „Et similiter dicendum est de nomine lucis, inquit D. Thomas in S. Th. I, q. 67 a. 1. Nam primo quidem est institutum ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundum suam primam impositionem, metaphorice in spiritualibus dicitur, ut Ambrosius dicit. Si autem accipiatur secundum quod est in usu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic proprie in spiritualibus dicitur.“ Item dicendum est de aliis nominibus, quae a D. Thoma in 2. Sent. d. 13 q. 1 a. 3 sol. sic distinguuntur: „Ista quatuor differunt: lux lumen radius et splendor. Lux enim dicitur, secundum quod est in aliquo corpore lucido in actu, a quo alia illuminantur, ut in sole. Lumen autem dicitur, secundum quod est receptum in corpore diaphano illuminato. Radius autem dicitur illuminatio secundum directam lineam ad corpus lucidum: et ideo ubicumque est radius, est lumen; sed non convertitur, contingit enim lumen esse in domo ex reflexione radiorum solis, quamvis non ex directa oppositione propter aliquod corpus interiacens. Splendor autem est ex reflexione radii ad aliquod corpus tersum et politum, sicut ad aquam et ad argentum vel ad aliquid huiusmodi: ex qua reflexione etiam radii prociuntur.“ Sed cum luminare dicatur omne corpus lucens et radios dimittens ut sol, sol autem dicatur lumen magnum propter quantitatem et virtutem, ut dicit in S. Th. I, q. 70 a. 1 ad 5, ideo nomen solis ad spiritualia quoque analogice potest transferri. Ergo D. Thomas, cum sit

summus Ecclesiae Doctor universe et specialissime approbatus, recte sol intelligibilis dici debet. Sicut enim sol corporalis influit in omnia corpora, similiter D. Thomas in mundo intelligibili influit in omnia Ecclesiae membra illuminando purgando inflammandoque animas doctrina. Cuius solis imago est Aligherius, quem ille radiis sapientiae suae quasi alterum solem minorem in speculo divinae comoediae accendit. Sicut enim „visus, inquit D. Thomas in Quodlib. 7 a. 1, fertur in speculum sicut in visibile, quo mediante accipit speciem rei visae in specie vel in speculo“, similiter visus artificum fertur in opus Aligherii sicut in visibile, quo mediante accipiunt imaginem artis verae. Etenim Summa Theologica D. Thomae resplendet in divina comoedia Aligherii sicut in speculo. Unde splendidissimus poeta vere est filius magistri bonus et pulcher, de quo dicitur in libro Proverbiorum c. 10, 1: „Filius sapiens laetificat patrem.“

Ad primum igitur dicendum, quod similitudo mentis, quae consistit in verbis interioribus Aligherii cum eiusmodi verbis D. Thomae, est ab ipso Aligherio expressa. Sed quia haec similitudo oritur ex ipsis D. Thomae verbis interioribus, quae poeta cogitando imitatus est, ideo virtute Thomae in eisdem verbis agente, haec similitudo mentis ex ipsis Thomae verbis est expressa, quare eiusdem imago est mens poetae dicenda.

Ad secundum respondetur verbis D. Thomae in S. Th. I, q. 93 a. 1 dicentis haec: „Aequalitas non est de ratione imaginis, quia ut Augustinus, dicit, ubi est imago, non continuo est aequalitas, ut patet in imagine alicuius in speculo relucente. Est tamen de ratione perfectae imaginis: nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa sit.“

Ad tertium dicendum: quamvis Aligherius non habuit scientiam D. Thomae divinitus infusam, tamen eam magistri scientiam recepit, quam hic communem tradidit discipulis sine differentia modi, quo ipse eam adquisiverat.

Ad quartum dicendum, quod etsi non constat iudicio Ecclesiae de gradu heroico virtutum, quas Aligherius exercebat, tamen constat ex vita eius, eum fuisse bonum Christianum, qui de peccatis prioris aetatis proenitentiam egorit et in pace Ecclesiae sit defunctus. Sed etiam notum est omnibus, eum perfectioni christianae studuisse multasque virtutes habuisse, quibus D. Thomae similis videretur,

cum praesertim magnanimitate esset conspiciendus. Quare amore studioque virtutis, quibus doctrina D. Thomae erat imbutus, magistrum imitatus eiusdem imaginem praebuit.

Ad quintum dicendum, quod ad rationem imaginis non requiritur aequalitas cum re, cuius est imago, sed sufficit similitudo substantiae expressa.

Ad sextum patet responsio ex dictis et similiter ad septimum.

Ernestus Commer

S. TOMMASO E DANTE¹

I

Il Ministro che regge le sorti della Pubblica Istruzione in Italia, in questo anno sei volte centenario dalla morte di Dante ha tentato di squalificare il concetto che noi avevamo dell'Alighieri come di un grandissimo poeta non per forza di fantasia, ma soprattutto per forza d'ingegno e di dottrina filosofica et teologica.

Movendo dal presupposto che „la vera poesia sorge sulle passioni e non sulle riflessioni²“, che „l'arte non ritrae cose ma sentimenti³“, egli ha concluso che la poesia di Dante „nasce tutta da vigore di fantasia; e sebbene si soglia lodare di grande dottrina in divinità, questa dottrina,

¹ Felice Tocco, *Le correnti del pensiero filosofico nel secolo XIII*. Nel vol. „Arte, Scienza e Fede ai giorni di Dante“, Conferenze Dantesche tenute nel 1900 a cura del comitato milanese della Società Dantesca Italiana, Hoepli, Milano, 1901.

F. Ozanam, *Rapports de la philosophie de Dante avec les écoles du moyen âge*. S. Bonaventure et S. Thomas d'Aquin. Cap. 3^o del vol. *Dante et la philosophie Catholique au treizième siècle*. Paris, Lecoffre.

Nardi, *Intorno al Tomismo di Dante e alla quistione di Sigieri* in „Giornale Dantesco“, 1914, vol. 22, quad. V.

Mercier, *Dante e S. Tommaso V*. „Il VI Centenario Dantesco“ 1920, p. 27.

Grandis, *Sigieri di Brabante*, cf. „Il VI Centenario Dantesco“, an. 1919, p. 21, 34, 61.

Moretti, *La Filosofia di Dante studiata con Dante*. Ivi, anno 1919, p. 110.

G. Manacorda, *Da S. Tommaso a Dante*. Congetture e riscontri. Bergamo Jst. It. d'Arti grafiche, 1901.

V. Marchese O. P., *S. Tommaso e Dante Alighieri*, Cap. III del vol. „Delle benemerienze di S. Tommaso d'Aquino verso le arti belle“. Genova, Tip. della Gioventù, 1874.

² Croce, *La poesia di Dante*, p. 179. Bari, Laterza 1921.

³ L. c. p. 31.